

**Facultatis Medicae ... p.t. decanus ... lectori philiatro S.P.D / [Georg Christoph Petri von Hartenfels].**

**Contributors**

Petri von Hartenfels, Georg Christoph, 1633-1718

**Publication/Creation**

Erfurt : J.H. Grosch, [1695]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/n2hyqpzm>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

~~25.~~  
26

FACULTATIS MEDICÆ

In ALMA ac PERANTI QVA HIERANA

p. t. DECANUS,

ejusdemqve & Universitatis Senior,


GEORGIUS CHRIS-  
STOPHORUS PETRI

ab *Martenfels*/

Medicinæ Doctor, Sacri Palatij Cæsarei Comes,

Archiat. Electoralis Moguntinus, Consul & Phy-  
sicus Erfurtensis, P.P.PLC. &c.

*Lectori Pbiliatro S. P. D.*



ERFORDIÆ, Typis Job. H. Groschij, Acad. Typogr.





**I**Nter illa bona, quæ ad humanæ felicitatis complementum præcipuè spectare videntur, absque dubiò palmarium & quam maximè optabile est, MENS SANA IN CORPORE SANO: Hoc si benè valet, thesauro inæstimabili, & Cræsi divitiis potiore hominem beat; quid enim conducerent Attalicæ opes, quid Sybariticæ mensæ, si morbò detento illis frui non esset integrum? usque adeò

*Robustus fossor Rege est felicior agrò.*

Pariter cum Microcosmi rebus benè comparatum est, quando cum prosperâ corporis valetudine simul Mens & ratiocinatio, quâ nihil præstantius nobis concessum est, & quâ à brutis distingvimur, salva est, & ab omni labe immunis: siquidem Mens sana divinitatis particeps in Regiâ suâ cerebro tanquam pro tribunali sedens per nuncios sensus percipit ea, quæ exterius geruntur, de iisdem accuratè judicat, & quid faciendum fugiendumque sit, exactè determinat: quando verò inania phantasmata illam obnubilant, errabunda deviat à suo genio, meditatatur absurda, oculos ad torvum intuitum, lingvam ad odiosos sermones, dentes ad mordicationes,

manus pedesque ad nocivas actiones, totum hominem,  
ad incompósitos mores instigans.

Sic oriuntur varia deliriorum genera, quando scilicet spiritus animales à variis causis aut nimis irritati, aut perturbati & in confusionē acti hūc illūc intra Cerebrum inordinatē & tumultuariē moventur, & sic animæ rationali phantasmata incongruē offeruntur, intellectūs & voluntatis actibus inde mirum in modum depravatis.

Cum enim spiritus illi, quibus anima in obeundis actionibus principibus utitur, debeant esse temperati, tenues, puri, lucidi, atque in regulari & ordinato motu constituti, fieri nequit, quin, si quid horum desit, mentis alienationes & deliria contingant.

Horum nonnulla cum febre comite, ut phrenitis, paraphrenitis, & lethargus invadunt: quædam verò sine febre hominem aggrediuntur, non minore cum periculo: quorum in censu facilè prima occupat subsellia Mania, ἀπὸ τῆς μανῆς νόσεως, i. e. à solutione sive inanitate mentis secundum nonnullos ita dicta, affectus sanè horribilis diuturnus & truculentus, quâ correptus Homo, alioquin animal plenum rationis & consilii, omni humanitate deposita totus obbrutescit, & ferinam naturam induit, non amplius est, quod fuit, fitq; ἐξάνθρωπος, & ex homine ratione prædito tantum non λυκάνθρωπος, immani furore percitus, aspectu torvus, ore procax, & vecors, manibus ferox, pedibus inconstans, omnia præter rationem agens, & nisi probè custodiatur, vincula admirandò & insolitò robore disrumpens, carceremque effringens: cum enim in sanguine ac succò nerveò maniacorum

eorum particulae q̄s. nitrosulphureae acerrimae contine-  
antur, fieri nequit, quin spiritus animales stupenda vi e-  
lastica sive explosiva & longe supernaturalem positam in  
hoc statu polleant: Nonnunquam ex insidiis sanam men-  
tem Maniaci simulant, interdum apertò Marte quosvis  
obvios, immò ipsum Medicum invadunt, saepenumero  
sibi ipsis violentas manus miserrimè injiciunt.

Quò mortis genere Ajax Telamonius obiisse credi-  
tur: cum enim Proceres Achivorum Achillis arma Ulys-  
si tanquam digniori adjudicassent, Ajax ignominiam quasi  
notatus, & propter hanc sibi illatam injuriam furore ac-  
census, sibi ipsi vitae finem imposuit, propriòque se gla-  
diò, quò ante plurimos interemerat, confodit. Sic de  
Cleombroto Ambraciota Callimachus recitat, eum le-  
ctò Platonis de animae immortalitate libro, (incertum,  
an furore, vel immortalitatis amore accensum,) è sub-  
limi murò in mare desiliisse.

31611 Nec infrequens unquam fuit hoc malum: Mania-  
cuserat Cleomenes Lacedaemoniorum Rex, Herodotò  
referente, qui sceptrum cuiusvis obvio in faciem impingere  
solebat, ea propter à propinquis vinculis constrictus & in  
carcerem coniectus. Empedocles Agrigentinus Sicu-  
lus, Pythagorae discipulus, furoris aëstrò percitus im-  
mortalibus Diis se accenseri cupiens, noctu clam à sociis  
se subduxit, & ignivomum in Aethnam se praecipitavit,  
detectam tandem fraude, cum brevi post ferreae crepidae ex  
dicti montis camino ejectae atque ad suos delatae fuissent.  
Sunt, qui Saulum primum Israëlitarum Regem furore  
tali agitatam fuisse, existimant, postquam Spiritus Domi-

ni ab illo discesserat, & malus genius ipsius animum obfederat: cujus insaniam suavissimâ dulcedine dispellere potuit cythara Davidica.

Hunc affectum contemplatione dignissimum Speciminis Inauguralis locò tractandum suscepit Clarissimus & rerum Medicarum peritissimus Dominus

**JOHANNES FRIDERICUS**

**Schröder** / Zdunensis-Polonus,

cujus *Βιογραφία* brevibus heic annectere recepta consuetudo postulat.

Editus est in hanc lucem A<sup>o</sup> post Christum natum 1670. Fraustadii à Parentibus honestissimis, Patre videlicet Virò admodum Reverendò, Clarissimò nec non doctissimò DN. M. Petro Schöero, Ecclesiæ Zdunensis Seniore vigilantissimo, Scholæque ibidem Inspectore, adhuc superstite; Matrè verò Matronâ pientissimâ Helenâ Schöeriâ, Viri admodum Reverendi Dn. M. Johannis Lehmanni, Ecclesiæ Namslaviensis quondam Diaconi jamdudum beatè defuncti filiâ, pariter adhuc vivente. His Parentibus nihil fuit antiquius, quam ut dilecto suo filio ab ineunte ætate Pietatis & Artium fundamenta instillarent: quem in finem ad Scholas triviales ablegatum commiserunt Præceptoribus fidelissimis, videlicet DN. Johanni Schupelio, ut & cuidam privato Informatori, Dn. Johanni Stanelio, Ss. Theol. Studio: Horum manu ductione per aliquot annos continuatâ magis magisque proficiens Gymnasium Uratislaviense Elisabethanum petijt, ubi per triennium commoratus Professores nactus est

est Viros Clarissimos, nempe Dn. M. Martinum Hanckium, Rectorem dictæ Scholæ meritissimum, qui Logicis & Ethicis rudimentis ipsum instruxit: ut & Dn. Conrectorem Danielelem Majorem, Græcæ linguæ, Poësis & Historiarum ibidem Professore: item Dn. Gottlobum Crantziûm, Physicam & Oratoriam enucle antem: in Theologicis usus est ἰδρυαῖ seu ductore solertissimô Dn. M. Gothofr. Hermannô, Concionatore, simulque prælaudati Gymnasii Professore: Philosophico itaque cursu horum ductu feliciter absolutô suis ibidem commilitonibus valedixit, animumque statim ad studium Medicum adpulit, per integrum annum in eadem Civitate in Anatomicis & Physiologicis χειρουργία usus Nobilissimi nec non Experientissimi Viri Dn. Johannis Grebneri, Med. Doct. & Practici felicissimi, cui subinde plura bruta cultro anatomico subjicienti attentus adstitit Spectator: ut rerum chymicarum etiam acquireret notitiam, commendatus est insigni cuidam Chymico ibi degenti, cujus Spagyricis exercitiis & laboribus sedulò interfuit.

Quibus Medicinæ partibus pro virili perlustratis in celeberrimam Academiam Lipsiensem se contulit, ubi Virorum Excellentissimorum omnique laude majorum, Dn. Doctorum & Professorum, nempe Dn. D. Bohrij, Petermanni, Ortlobij in publicis privatisque eorum lectionibus assiduus auscultator ultra anni dimidium fuit. Inde ad Athenæum Jenense se contulit, ibidemque per triennium subsistens Virum Magnificum atque Excellentissimum Dn. Georg. Wolfgang. Wedelium, Institutiones Mœbij & propria theoremata dexterrimè explanantem, in promptuarium materiæ Medicæ Macasij

com-



commentantem, semeiotica, pathologica & therapevtica, formulas medicamentorum, & doctrinam de febribus singulari studio & privatis Collegijs tractantem; in super Excellentiss; Virum Dn. Christophorum Schelhammerum, Chirurgiæ & Botanices Prof. P. in Schröderi materiam Medicam legentem, Chirurgiam docentem, Anatomicis tam publicis, quam privatis exercitijs sæpè vacantem, & quinque cadavera humana utriusque sexûs secantem; præterea Nobilissimum & Excellentissimum Dn. Jacobum Wolffium, Med. Doctorem & Professore extraordinarium, *ἄντι διαιτησις*, pariter anatomicis & Botanicis laboribus occupatum; ut & Nob. & Excellentissimum Dn. D. Adrianum Schlevogtium, Practicum & Physicum Jenensem frequenter audivit, sub quo etiam Collegium Chymicum experimentale, ut & Practicum clinicum in calamum dictatum habuit, atque sic horum suorum Dnn. Præceptorum auspicijs Studio Medico felicem Colophonem imposuit.

Tandem ad Hieranam ripam suam direxit cymbulam, ibidemque in numèrum Civium Academicorum & Medicinæ Candidatorum receptus consvetis iisque rigorosis Examinibus ut subjiceretur, decenter petijt: Petiti compos factus talem se exhibuit, ut Facultas Medica illum judicaverit dignum, cui honores in Arte Medicâ supremi post præstita, quæ adhuc supersunt, præstanda conferri possint. Antequam autem desideratô potiatur brabeô, superest adhuc agonisma disputatorium die 8. Februarij, DEO dante, in Collegij Majoris acroaterio majore horis consvetis adornandum: quem actum disputatorium ut omnes Philiatrî suâ honorificâ præsentîâ condecorare dignentur, hóc ipsô officiosè ac peramanter rogantur & invitantur. Publ. Dominicâ Quinquagesimæ d. 3. Februarij, Annô M. DC. XCV.

(L. S.)